



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat
excommunicatio minor?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM II.

Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat excommunicatio Minor?

Resp. Incurritur ob unicam tantum causam, si quis nimirum cum excommunicato majore excommunicatione communicet iis casibus, quibus non licet. Effectus ejus est, privatio sacramentorum perceptionis. *v. Laym. l. 1. s. 3. p. 2. cap. 3.* Unde resolves.

I. Cum jura dicunt, communicantem cum excommunicato incurrere similem excommunicationem, sensus est, quod similiter, id est, verè excommunicetur, licet minore.

II. Propter communicationem cum excommunicato minore excommunicatione, etiam nominatim denunciato, nulla incurritur censura.

III. Et si excommunicatus minore excommunicatione, recipiendo aliquod Sacramentum non incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat administrando verò, probabile est, nec venialiter peccare.

IV. Incurritur hæc censura, et si quis propter levitatem materiae tantum venialiter peccet, v. g. confabulando nominatim excommunicato, quando non licet: secus, si sit veniale propter imperfectum usum rationis: quia poena infligitur propter actum, qui quantum est ex se, sufficit ad mortale.

v. Et si

V. Et si peccatum veniale possit omitti in confessione, non tamen illud, cui hæc censura est annexa, ne Sacramentum in ea recipiatur. Unde etiam Confessarii ordinariè prius absolvunt fideles ab omni vinculo excommunicationis, etiam minoris, deinde à peccatis.

VI. Ab hac excommunicatione lata à jure, absolvere potest Parochus, & quisquis potest à mortalibus; cum non sit reservata. An verò qui potest absolvere à veniali, habente annexam hanc excommunicationem, possit etiam ab ipsa, quidam affirmant, ut *Navar. & Tol.* alii probabilius negant, ut *Suar. Con.* quia sicut hæc absolutio est distincta à sacramentali, ita etiam ad eam requiritur distincta jurisdictio, quæ nusquam conceditur omnibus Sacerdotibus, v. *Laym. l. 1. c. 2. p. 2. ca. 3.*

DUBIUM III.

Quos effectus habeat excommunicatio Major?

Resp. Habet duplices; Mediatos, & Immediatos.

Mediati, sive remoti sunt hi:

I. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alicujus ordinis.

II. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat, & ut jura loquuntur, infordeat, sit suspectus de hæresi, & contra eum ut talem procedi potest, ex *Trid. sess. 25. cap. 3.* ideoque (si crimen grave, & beneficii privatione dignum commisit) privandus est beneficio.